

tum acquisitos diminuit , vitiorum verò consuetudinem & habitus adauget , ac fervorem Charitatis paulatim extinguit.

CAPUT III.

De intentione sacris functionibus à Parocho praefienda.

Iucerna Corporis tui est oculus tuus : si oculus tuus simplex fuerit , totum Corpus tuum lucidum erit si autem oculus tuus fuerit nequam , totum Corpus tuum tenebrosum erit. Matth. 6. Voluit Christus per hæc verba significare necessitatem sanctæ Intentionis in operibus nostris , sicut

passim explicant SS. Patres, intelligentes per Corpus ipsum opus, quod facturi sumus, per oculum verò finem & intentionem, ex qua procedere debet. Unde Richardus de S. Victore de Stat. intern. hom. *Quod est corpus sine vitate, hoc est opus sine intentione bona, qualibet ergo actio quamvis bona videatur, quasi mortua judicatur, nisi per consilium ad intentione bonam animetur.* Patet hoc in Jejunio, Oratione & Eleemosynâ apud eundem Evangelistam: Quæ enim opera commendantur, & mercedem habent in Tobia & Centurione Cornelio *Tob. 12. & Act. 10.* ea in Pharisæis reprehenduntur à Christo tanquam vacua & omni mercede supernaturai
in-

indigna. Nec alia discriminis ratio in Scripturis assignatur, quam quod illi opera sua ex sancto quodam fine & intentione exercuerint, hi verò profanum & inutilem actionibus suis finem præstituerint. Habet scilicet se intentio ad opus, sicut radix ad arborem & illius ramos. de qua S. Paulus *Rom. II. Si radix sancta, & rami.* Possunt autem Parochi duobus ferè modis à debito actionum suarum fine & scopo aberrare : *Primò* si illas ad nullum omnino laudabilem finem referant, sed ex nuda consuetudine vel habitu operentur, aut certè ex intentione solùm naturaliter bonâ & honestâ, ne vide-
licet tanquam rerum suarum ne-

gli-

gligentes multari possint vel reprehendi. Et tales ordinariè in functionibus suis luridi sunt & perfuctorij , servientes solummodo ad oculum , & contenti , si munere suo utcunque ac secundùm externam speciem sint perfuncti. Secundo modo deviare possunt à recta intentione, quando sacris suis functionibus finem præfigunt planè malum & intentionem perversam , v. g. lucrum temporale , aut vanam hominum laudem & æstimationem. Qui duo fines valde multa Parochorum corrumpunt opera. Primus enim Sanctissimorum etiam Sacramentorum administrationi se insinuare solet, Alter verò ministerijs sacri Altaris, Cho-

Chori, & Suggestus insidiari non
erubescit. Porro intentio per-
fectissima , maximè meritoria ,
& securissima , quam Parochus
aliquis operibus sacris & indiffe-
rentibus præfigere debet, est illa,
quæ à Charitate D E I dimanat ,
& ipsius Sanctissimæ voluntati
satisfacere , gloriam augere ,
gratum ei obsequium præstare ,
illique soli placere intendit: Ad
quam intentionem nos hortatur
S. Paulus *1. Cor. 10.* cum ait: *sive*
ergo manducatis, sive bibitis, sive
aliud quid facitis, omnia in glo-
riam DEI facite. & Coloss. 3. Omne
quodcunq;*s*, facitis in verbo aut in
opere, omnia in nomine Domini no-
stri Jesu Christi. Dixi intentionem
illam esse securissimam, quæ
à Chari-

à Charitate DEI dimanat : docent enim Authores non pauci conformiter D. Thomæ ex Apostolo 1. Cor. 13. opera cujus- cunque virtutis, quamvis ex speciali motivo illius procedant, non esse meritoria vitæ æternæ, nisi à Charitate eliciantur, vel imperen- tur.



PARS